

*Visa et cælestes ducere læta choros.  
Purpureamque trahens animam super arce locavit  
Empyrea, lateri composuitque suo.*

Hæc ibi de ista apparitione; sed Gaufridus nihil de ea scriptum reliquit, quod miror. Quid de sacro corpore exposito, concursu hominum, et sepultura?

548. Corpus defuncti abbatis etiam rite paratum, et ornatum sacerdotalibus indumentis, oratorio beatæ Dei Genitricis infertur; teste Gaufrido lib. v, cap. 2, concurrente ad illud plurima hominum multitudo, vallemque totam ploratu atque ululatu implente; sicut ibidem sequitur. « Biduo mansit in medio gregis pastor extinctus, dum pristina illa dulcissimi gratia vultus nil minorata, sed aucta, magis omnium in se figeret oculos, animos traheret, sepeliret affectus. » Quid præterea? Crescebat autem supra modum ruens undique populi multitudo, et intolerabilis jam fiebat impetus concurrentium, ac desiderabiles tenentium pedes, osculantium manus, applicantium panes, baltheos, nummos, et alia quæque servanda sibi pro benedictione. » Et vero secunda die tam erat importuna corpus venerabile obsidentium multitudo, ac præstolantium sacratissimi istius pignoris sepulturam, die tertia faciendam, ut anticipata ejusdem fuerit hora, ad vitanda, quæ timebantur, incommoda. Consule laudatum mox biographum, qui ista plenius enarrat. Quid, quod unus e fratribus, gravi ac diuturno morbi caduci malo laborans, et priusquam corpus tumulo conderetur, plena fide ad illud accedens opemque flagitans, perfectam recuperavit sanitatem, prout videre licet apud eundem scriptorem: quanquam hæc sanatio aliunde ejus textui inserta est. Adisis etiam Exordium magnum distinctione 2, cap. 20.

549. Neque filio suo ac domestico Pater sanctus duntaxat fuit benignus; sed externis etiam præbuit se propitium. Audiatur Exordium magnum loco jamjam indicato: « Pridie etiam quam reconderetur pretiosissimus ille thesaurus, puer quidam de proximo viculo advenit, præ siccitate nervorum aridum habens brachium, et manum contractam. Cujus ætati et debilitati qui præsentis aderant compassi, tanto huc fiducialius ad sacri corporis tactum invitavere post horam orationis nonam, quanto id minus innocens ætas per se præsumere audebat. Ubi vero brachium aridum brachio sancto, et manus contracta manui benedictæ applicata est; repente vigore naturæ redeunte brachium convaluit, et manus libere extendens et reflectens digitos, sub oculis totius multitudinis, quæ sacrum funus quaquaversum circumdederat, perfecte sanitati restituta est. In cujus curatione tantus illico factus est clamor omnium, qui aderant, vociferantium in laude Dei ut vix eum potuerit fratrum disciplina reprimere. Superveniente vero nocte allatus est alius toto corpore debilis, procubuit loculo, et coram psal-

lentibus erectus est, et deductus ad altare. Ita Exordium magnum Ordinis Cisterciensis.

550. At magna virtus miraculorum exierit oportet de corpore abbatis nostri jam vita functi, cum injunctum ei dicatur, ne eadem ulterius continuaret, Gosvino abbate Cisterciensis illud prohibente. Factum audi ex auctore Exordii magni distinctione 2, cap. 20: « Enimvero dominus [al. add. Gozvinus] Cisterciensis [al. add. abbas] qui cum aliis pluribus abbatibus sui ordinis ad exsequias viri Dei venerat, considerans tantam importunitatem tumultuantis populi, et ex præsentibus futura conjiciens, vehementer timere cepit, ne, si crebrescentibus signis tam intolerabilis illuc populorum turba concurreret, earum improbitate disciplina periret ordinis, et sanctæ religionis fervor in eodem loco tepesceret. Quapropter, habita super hoc deliberatione, reverenter accedens, per virtutem obedientiæ, ne signa ulterius faceret, inhibuit. Sed cum dicat apostolus de Domino nostro Jesu Christo, quia factus est obediens Patri usque ad mortem, et ipsius exemplo legislator noster sanctus Benedictus obedientiam nobis usque ad mortem in regula proponit; sancta et vere humilis anima Patris nostri mortali homini, etiam post mortem carnis, obediens fuit. Nam signa, quæ tunc jam radiare cœperant, ita cessavere, ut ex illa die et deinceps nunquam publica miracula facere visus sit: licet quibusque fidelibus præcipue sui ordinis fratribus, pro variis incommoditatibus ad se clamantibus, usque hodie deesse non possit. Namque sola illa signa quæ disciplinam ordinis per turbas concurrentium populorum minuerent, domnum Cisterciensem fieri noluisse, manifestum est. »

551. Cæterum, quid occasione hujus mandati acciderit in tartareo spiritu, qui mulierem possidebat, indeque per merita S. Bernardi exire jussus hanc ipsius jactabat obedientiam, ne occupatam a se sedem deserere cogeretur, non abs re fuerit hoc loco commemorare ex magno Exordio Cisterciensi, quod paulo ante designatum est. Rem itaque gestam ex illo intellige: « Evolutis dehinc post transitum beati viri pluribus annis, erat in partibus Italiæ matrona quædam, quam correptam spiritus malignus atrociter vexare cepit. Quo tam lamentabili casu propinqui et amici ejus vehementer consternati, si quid remedii foret, sedula meditatione pensare cœperunt. Erat autem in vicinia cœnobium quoddam ordinis Cisterciensis; et sicut mentibus in angustia constitutis spes undecunque concepta solet parere fiduciam, ad eandem domum dæmoniacam illam causa curationis ducere communi consilio decreverunt. Quod et factum est. Sistitur misera ad portam: et alii qui ex simul comitantibus, qui tantum malum abbati et fratribus nuntiarent, opemque flagitarent, mittunt. Abbas vero quosdam de senioribus quos magis noverat spirituales, assumens, cum

cruce Dominica et sanctorum reliquiis egreditur ad patientem. Cumque malignus ille spiritus per Domini crucem et per sacra sanctorum pignora conjuratus nil moveretur, recordatus est abbas, habere se venerandas reliquias de capillis et barba S. Bernardi: quas eodem, ni fallor, anno ad capitulum vadens in Claravalle pro benedictione acceperat, et ad tutelam sui continue secum ferebat. Et nihil dicens, manus sub cuculla silenter misit, quatenus extractis his reliquiis dæmonem per has urgeret.

552. « Quod pestifer ille lynceis oculis deprehendens, cœpit continuo scabellum pedibus terere, sputa jacere: totius quoque corporis indecenti motu, quid intus pateretur, prodebat invitus. Et erumpens in vocem: Eia, inquit, abbatule, quid vis facere? Quid modo mali contra me sub illa veste tua machinaris? Frustra niteris, incassum laboras: serva Bernardum tuum, nec enim proficies quidquam. Dicente vero abbate, per Domini gratiam et hujus sanctissimi viri merita, modo egredieris, respondit: Quid? An excidit tibi quod prohibitum est ei signa facere? Hoc ergo sciens, securus in hoc meo domicilio requiesco, Audiens autem abbas et fratres, qui cum ipso erant, hæc verba, valde mirati sunt, quod scilicet spiritus nequam interdictum illud in scutum suæ defensionis tam celeriter invenerit. »

§ LII. *Varie post beati Patris obitum apparitiones; tumultus; epitaphia; elogia; aqua qua ejus sacrum corpus fuerat ablutum, prodigiosa; sermo anniversarius; corporis ac morum descriptio.*

553. « Ascendentem in cœlum beatam animam ex variis mundi plagis conspexere viri sanctissimi; sed inter alios duo commemorantur, alter in Angliâ; in Vasconia alter existens: hic Montis Pesusulani Guillelmus comes, quem dudum in Grandisilva conversum, inde in Hispaniam missum, sed nunc forte reversum commemoravimus: ille anonymus, sed magnæ sanctitatis, nec similibus dissuetis revelationibus: uterque eadem die, qua decessit; sed alter alloquens; alter tantum videns. Et de Anglo hæc auctor Exordii magni lib. I, cap. 38: *Ferunt in regione Angliæ quemdam religiosum magnæ virtutis existere, qui in ipsa die qua B. Bernardus, abbas in Claravalle, de mundo migravit, cum esset in Angliâ, vidit in spiritu maximum quemdam angelum de cœlo transmissum, maximam nihilominus animam quamdam de terra assumentem, et eam cum ingenti gaudio secum ad astra ferentem.* » His exorditur Cisterciensis Annalista suum caput octavum. Apparitionem vero aliam, quæ laudato Guillelmo accidit eadem ipsa nocte, qua abbas sanctus ex hac vita decessit, idem historiographus subnectit ex Gaufrido lib. v, cap. 3, ubi lector pluribus illam descriptam inveniet.

554. Duabus hisce superaddit tertiam Manricus, « quatuor a Claravalle, uti refert, dictis factam regulari canonico, qui post monachum induit

in Claravalle. » Rem vero gestam memorare se dicit ex anonymo Gallo, quem Silva transtulit. Sic itaque habet: « Is eadem, qua sanctus, obiit die, imo et eadem hora, videre sibi per somnum visus est monachos plures in cucullis albis splendidos, binos et binos lente procedentes, ac deducentes corpus beati viri a cella usque in ecclesiam ubi funebres ejus exsequiæ celebrantur... Evigilans, de morte et visione sollicitus ac dubius distrahebatur, an sanctus doctor de mundo jam migrasset, et an pro illo orandum, an ipse potius, quasi qui posset pro aliis intercedere. Repente extra se factus stellam vidit claritatis ingentis et pulchritudinis, atque eam esse amici et Patris animam voce e cœlo delapsa clare cognovit, ante Dei thronum æternum micaturam. » Hac visione exposita, « Similem, » inquit, « aliam in Italia factam ibidem habes. » Hactenus Annalium Cisterciensium collector.

555. Accipe aliam, quæ apud eundem historicum exstat num. 5, ex additis, quæ citat ad Exordium magnum lib. VIII, cap. 10: « Refert ergo (ait) doctor Jacobus de paradiso, qui fuit de Ordine Carthusiensium, quod illa hora qua B. Bernardus de hoc sæculo feliciter migravit, triginta millia hominum e vita decesserunt. Inter quos etiam fuit vir quidam decanus ecclesiæ Lincolnensis, qui, dum vixit, vir vitæ laudabilis fuit. Qui mundanos honores fugiens, vitam solitariam elegit in quadam eremo, in qua per viginti quinque annos sanctissime conversatus est. Obiit igitur etiam hic decanus eodem die, quo beatus Pater noster Bernardus. Post mortem autem apparuit Lincolnensi episcopo cum magna gloria, pro ipsius episcopi, et omnium audientium admonitione dicens ei: Age poenitentiam, emenda vitam, corrige conscientiam, dimitte superbiam simul et avaritiam: aliter nunquam habebis cœlestem gloriam. Non enim tam facile est, salvari hominem, sicut multi credunt. Quoniam, dum ego præsentarer tremendo Dei judicio, affuerunt ibi triginta millia animarum, de quarum numero vir beatus Bernardus, et ego sumus salvati: tres descenderunt in purgatorium: alii omnes ceciderunt in infernum. His dictis disparuit decanus. Sed benedictus sit Deus in sanctis suis, et sanctus in omnibus operibus suis, qui sanctum Patrem nostrum Bernardum ita in omni gente, et natione glorificari dignatus est. » In Bibliotheca Carthusiana auctore F. Theodoro Petreio, notatur « Jacobus de Clusa, alias de Paradiso (licet alii diversos fuisse existiment) ante ordinis ingressum S. theologiæ doctor ac professor publicus; postmodum vero Erphordianæ Carthusiæ alumnus, scripsisse tractatum de Apparitionibus animarum, post exitum a corporibus..., obiisse autem anno... 1465, aut præter propter. »

556. Plura sunt alia visa quibus Dominus Deus fidelissimi sui famuli jam vita functi gloriam ma-

nifestavit. Legatur Gaufridum lib. v, Vitæ cap. 3, e quo hæc in compendium redigo: « Proxima nocte, postquam sacrum corpus sepulturæ traditum fuerat, quantam adhuc pro filiis sollicitudinem gereret Pater sanctus..., evidenter ostendit. Apparens enim cuidam fratri in multa gloria..., et desiderantem tenere, cito pertransiens, aiebat, quia pro quodam fratre simplice veni... Circa horam diei tertiam veritas comprobata est visionis. Defunctus est enim quidam frater... et sicut omnino credibile est, animam ejus... secum tulit. Paucis quoque expletis diebus alteri cuidam fratri magnifice satis apparens... Hoc etiam scito, ait, et dicit fratribus, cujusdam vere sancti corpus, ejus et ego habeo vestem, in oratorio esse sepultum. Dicebat autem episcopum Malachiam. Ipsius enim tunicam, in qua sanctus ille feliciter obdormierat, ad missarum sibi servaverat celebrationem, et moriturus in ea sese jussit sepeliri, sicut et sanctum illum in sua sepelierat veste. Quod tamen verbum et ipsi fratri, et quampluribus aliis usque ad hanc visionem prorsus erat ignotum. » Aliæ S. Bernardi apparitiones numero bene multæ, ac genere suo singulares dabuntur a nobis post in Gloria viri posthuma. Liceat nobis interea temporis ad alia pergere.

557. Tertio itaque post mortem die corpus ipsius sepultum est. Superposita tamen pectori sacratissimo fuisse B. Thadæi apostoli reliquias, sicut beatus abbas præceperat, eodem anno ab Jerosolyma sibi missas, perhibet Gaufridus lib. v, cap. 2. Occasione sepulturæ de epitaphiis etiam aliqua sunt notanda. Manricus cap. 9, sequens de iis iudicium profert: « Bernardi tumulum ab ipso sancto sepulto ornaverunt elogia, seu epitaphia, quæ simul cum Operibus ejus circumferuntur, bonitate quam numero inferiora. Enervia ea pro argumenti qualitate, et nunc dura, nunc frigida, aut, si quando incalescant, inæqualia: certe quæ ideo plura esse videantur quia nullum satis. Nec tamen sine nutu divino factum credam, ut summa alias ingenia velut in luce Bernardi cæcutirent, et quæ laudandis aliis superessent, in ipso deficerent, quasi qui solus sibi sufficiens foret; et laureatus spiritu sapientiæ, non aliis coronandus veniret, quam suis scriptis. Assensisse videtur Baronius ad hunc annum huic conjecturæ, atque ipsam etiam iudicio suo approbasse: nam Sancti laudibus cæptis, sed vix libatis, ad Adamum de sancto Victore prope transit, unum præ aliis Bernardi laudatorem, et tandem concludit: *Ista in laudem laudatoris S. Bernardi redundant...* »

558. « Epitaphium Adami Victorini, quia revera præ aliis dulcius sonat, omissis reliquis hic duxi transcribendum, quod haberi indicat inter epitaphia D. Bernardi. Sic vero expressum est:

*Claræ sunt valles: sed Claris vallibus abbas.*

*Clarior his clarum nomen in orbe dedit.  
Clarus avis, clarus meritis, et clarus honore,  
Clarus et eloquio, religione magis.  
Mors est clara, cinis clarus, clarumque sepulcrum:  
Clarior exsultat spiritus ante Deum.*

Sic Victorinus Adam lusit, allusitque ad sancti abbatis, et loci claritudinem. Cætera languent, et nec Bernardi operibus digna erant, neque his Annalibus. » Non itaque opus est ad hujusmodi elogia recurrere. Alia gravissimorum omnium status ac conditionis virorum de sancto testimonio paulo inferius proferemus, ne vel ipsis quidem ex laudatorum istorum agmine exclusis heterodoxis, qui suam quoque symbolam in Bernardi præconia contulere. Enim vero si sapientissimorum virorum elogiis adde-  
dere nostrum de sancto Patre sensum liceat; tam ex dictis per decursum hujus nostri commentarii, quam ex dicendis infra in Vita ejus, nec non post illam in Gloria posthuma in ipsius honorem a nobis elucubranda, manifestissime conficitur, sequentes titulos, non adumbratos, sed veros ac genuinos ipsi convenire. Fuit itaque Vir sanctissimus, ac vocari debet meritissimo jure Ecclesiæ catholicæ lumen et columen, sedis apostolicæ fulcrum, hæreticorum malleus, apostolus, propheta, thaumaturgus, angelus pacis, Dei omnipotentis organum, perfectionis religiosæ norma, ordinis Cisterciensis propagator et gloria, vas denique electionis, ad agendas res magnas, et ad felicem exitum promovendas non difficillimis duntaxat, sed desperatissimis etiam temporibus.

559. « Edidit... in anniversaria sacri obitus illius solemnitate perelegantem sermonem Godefridus, ejus notarius, cum postmodum abbas esset in Claravalle. Qui licet mendis plurimis respersus, in posterioribus, quæ circumferuntur, editionibus, simul cum operibus sancti lucem accepit, sub hoc initio: *Quam dulcis hodie, dilectissimi filii, paterna debet esse memoria;* » prout observat Manricus, cap. 9, num. 5. Sermo iste pluribus a nobis indicatus est § 4 hujus Commentarii, num. 18, ubi etiam signatur, quo anno fuerit habitus. De auctore autem consulat lector observationes § 63. Mirabile autem est, quod dicto num. 5, refertur de aqua, qua ablutum fuerat corpus sancti vita functi post multos etiam deinde annos salutifera et prodigiosa. Audiantur sermonis verba: Nonnullis etiam Pater sanctus, cum in carne eum non viderunt, benignum sese in spiritu exhibuit patrem, tulit opem, abstulit tentationem, attulit consolationem. Nam ex lavacro sacri corporis ejus, cum ex more ei post transitum debitas exhiberemus exsequias, fratres quidam in remotissimas orbis partes deportaverunt, et, sicut eorum certa relatione didicimus, cum jam decimus annus transierit, non tantum aqua illa usque modo manet omnimodis illibata; sed eandem obtinet et gratiam, quæcumque fuerit superfusa. Cum enim pluribus jam ad remedia postulantis de eodem sacro liquore donaverint (nam et eum

multis opem tulisse confirmant) impleto tamen sæpius aqua altera vasculo, talis permanet usque hodie, qualis prima fuerat die. »

560. De singularibus gratiæ dotibus, quibus Vir sanctus erat præditus, asserit ista scriptor Vitæ Gaufridus lib. III, cap. 1: « Serenus erat vultu, modestus habitu, circumspectus in verbis, in opere timoratus, in sacra meditatione assiduus, in oratione devotus, et... de omni re magis fidens orationi, quam industria propriæ vel labori: magnanimus in fide, longanimis in spe, profusus in charitate, etc. Apparebat in carne ejus gratia quædam, spiritalis tamen potius quam carnalis. In vultu claritas præfulgebat, non terrena utique, sed celestis. In oculis angelica quædam puritas, et columbina simplicitas radiabat. Tanta erat interioris ejus hominis pulchritudo, ut evidentibus quibusdam indicibus foras erumperet, et de cumulo internæ puritatis et gratiæ copiose perfusus homo quoque exterior videretur. » Jam vero externum corporis statum ita pergit exhibere idem biographus loco allegato: « Corpus omne tenuissimum, et sine carnibus erat ipsa quoque subtilissima cutis in genis modice rubens... Cæsaries ex flavo colorabatur, et candido. Barba subrufa, circa finem vitæ ejus respersa canis. Statura medioeritatis honestæ, longitudini tamen vicinior apparebat. »

561. Infirmo autem ac plurimis incommodis subiecto Vir sanctus erat corpore. Audiamus denuo Gaufridum citatum: « Alias autem thesaurus iste in vase fictili erat contrito penitus et undique conquassato. Laborabat siquidem caro ejus multiplicibus infirmitatibus incommodis, ut in eis virtus animi perficeretur. Quarum periculosior quidem in meatu arcissimi gutturis, nil penitus sicum, vix solidum aliquid admittentis: molestior erat defectus stomachi, viscerumque corruptio. Hæc continuæ illi, præter alias sæpius incidentes. » Porro de virtutibus Viri, ac modo vivendi, quæ laudatus biographus ibidem enarrat, non memoro; sed ea in ipso fonte legenda designo, ne justo longior sim, si omnia singillatim descripsero, quæ ibi scripta sunt. Interea temporis vellem, ut repræsentasset idem auctor, qualis fuerit in ipso vultus conformatio, qualia frontis, oris, oculorum lineamenta. Id vero cum nec ipse fecerit, nec ab alio antiquo biographo factum norim; conabor, quoad potero, hunc defectum aliunde supplere inferius.

‡ LIII. *Effigies; cubiculum; calix; peregrinationes ad sancti corpus.*

562. Tria apud me sunt ectypa, quæ S. Bernardi effigiem repræsentant. Unum, hæc epigraphe subscriptum: *Vera effigies S. Bernardi, primi abbatis Claravallensis, sacri Ordinis Cisterciensis amplificatoris.* Sed veritas illa, seu perfecta hujus ectypi cum suo prototypo convenientia asseritur ibi quidem; sed non probatur. Imago alia, et a priore omnino

discrepans præfigitur Vitæ Gallicæ S. Bernardi, quæ typis edita est Lutetiæ Parisiorum anno 1704. Inscriptio asserit, veram hanc viri sancti effigiem esse, æri videlicet incisam e pictura, quæ Roma sit missa, quæque e vultu ipsius anno 1152, dum ageret annum ætatis 62, expressa fuerit. Imago illa repræsentat elegantem simul ac venerabilem, et paterna cum suavitate conjunctam vultus conformationem; sed vereor ne affectatam. Etenim Pater sanctus tam emaciato erat corpore, ut cutis vix tegeter ossa; ossa vero ipsa ægre cohærent cum reliqua infirmissimi corporis compagine, morti naturali jam tum, ut ita dicam, quasi moraliter præmortua. Consule, quæ modo præmisi ex Gaufrido sub finem § 52. Breve est illud epistolæ 114, inter Bernardinas, ubi vir sanctus, « Pavidæ, inquit, mortis pallidam circumferentes imaginem, » etc.

563. A prædictis imaginibus prorsus diversa est viri sancti forma, quæ exstat apud Puricellum inter *Ambrosianæ Mediolani basilicæ, ac monasterii hodie Cisterciensis monumenta* (Ita inscribitur Opus laudati auctoris) volumine I, pag. 623. Illa vero mihi magis probatur, quam duæ aliæ præcedentes, quia hæc majorem apud nos habet auctoritatem quam illæ. De ea scribit. Puricellus pag. 622, n. 370: « Satis vero fideliter incisa æri est ex altera paris mensuræ, quam superioribus annis ad suos in hoc Ambrosiano monasterio monachos jam Cistercienses Pater generalis e Gallia transmisit, hoc elogio commendatam, quod ex omnibus æri hactenus incisis non alia unquam magis ad veram et nativam sancti abbatis effigiem congruerit. »

564. Nec tacite præterierim nonnulla hoc loco, quæ Manricus ad annum 1153, cap. 9, in fine scribit de S. Bernardi cubiculo, ac quibusdam aliis. « Interim adnoto, ait, exstare hodieque felix cubiculum, longitudinis ad quadraginta pedes, latitudinis sex supra viginti, quadrato lapide in parte pavimenti, cui stramineus sancti lectus imponebatur. In medio lapidis cavitas conspicitur, dubium cui usui apta: et sunt, qui dicant, reponendo igni effossam, quo calor naturalis defectus (nam eo præcipue sanctus ægrotabat) repararetur. Visitur et in eodem cubilii ligneus lectus, cui incubabat, cum spiritum emisit; conservatus, ob sancti reverentiam, integer post annos atque illæsus. Demum inter reliquias Claravallis, de quibus aliquæ nobis dicendæ erunt, ostenditur ex Inventario Claravallis, quod citatur: *Scrinium parvum ligneum deargentatum, cujus sera est de argento, plenum reliquiis, videlicet de vestimentis sacerdotilibus S. Bernardi abbatis Patris nostri.* Hoc enim titulo prænotatur in Inventario. Itemque pulcher quidem, sed parvus calix, cum pede et pomello rotundo per totum, tam intraquam extra, bene deauratus, cum sua patena et cochleari etiam deauratis, ponderis unius marchæ, et quinque unciarum; qui propter reverentiam S. Bernardi, qui eo uti solebat in sacrificio, in Inventaria

rio primum locum obtinet. » Verum de sancti reliquiis plura fortasse a nobis proferentur in Gloria ejus posthuma, si major illarum ad nos notitia pervenerit.

565. Præter illa, quæ ad sepulturam beatissimi patris spectant, quæque paulo ante a nobis relata sunt, dicere nunc aggredimur peregrinationes, ad venerabilem ejus tumulum primis post mortem temporibus pie ac religiose a variis susceptas. Historicus Cisterciensis ad annum 1154, cap. 1, num. 1: « Bernardo, inquit, Patre ad superos translato, vota ad sepulcrum ejus, non secus ac ad alia loca sacra, ex toto pene orbe frequentabantur, Primus vel inter primos Eskilus fuit, illustris Daniæ primas, de quo superius, hoc anno millesimo centesimo quinquagesimo quarto, qui fuit Cistercii quinquagesimus septimus, ex ultimis finibus terræ veniens ad Claramvallem. » Et mox rationem reddens, cur innectat huic anno adventum ejus, uti et Sardinie reguli de quo mox) « Ergo..., sicut pergit, sub veris initium, qui ante biennium Bernardum visitaverat, cum viri transitum gloriosum agnovisset, scribente Gaufrido, sepulcrum ejus veneraturus advenit. »

566. Porro adventus ille narratur et confirmatur ex verbis Exordii magni, distinctione 3, cap. 25, ubi leguntur ista: « Haud multo vero post hæc (nimirum postquam ex Claravallensi cœnobio redierat) elapso tempore, tristissimus rumor aures ejus percussit de dormitione beati viri, specialis amici sui, scribente sibi libellum de transitu ejus domno Gaufrido, monacho Claravallensi, qui notarius ejusdem sanctissimi abbatis non parvo tempore fuerat. Tum vero caluit cor ejus intra ipsum, et in meditatione ipsius exarsit ignis: vana transitoria atque caduca reputans universa, quæ hominis intentionem præpedire possunt a recto cursu, quo ad patriæ cœlestis beatitudinem tenditur. Itaque commendans ecclesiam, cui laudabiliter præfuerat, Deo et principibus terræ, relictis parentibus et propinquis, notis et amicis, ipsique patrio cespiti valedicens, exsul egregius Claramvallem venit: sepulcrum beati viri, intimi quondam amici sui visitavit, et ad sacratissimam tumbam ipsius vivere et mori delegit: ubi etiam sacræ religionis habitum, Deo donante, postmodum suscepit. » Hæc ibi; sed memoria repete, quæ de monastica professione apud Claravallenses, vivente S. Bernardo, ab eo desiderata, præmisimus § 50, num. 532. Adde, quæ observat allegatus mox Manricus num. 4.

567. « Eodem anno, et eodem ejus tempore (sic pergit Manricus num. 5) quantum licet conjicere, Sardinie regulus, cujus superius fecimus mentionem, primogenito in solio substituto, relicto regno, qui hactenus adherere viventi noluit, adhæsit cineribus, humilis monachus factus in Claravalle. » Hunc itaque ad sanctum fuisse attractum, et Claravallensium instituto ascriptum fuisse, colligimus ex eodem Exordio magno. Rem exposui § 50, num.

567, alia ibidem oblata opportunitate agendi de ejus ad Claravallenses profectione, quam inter alias ad Viri sancti sepulcrum peregrinationes connumerato, uti etiam illam, quæ narratur in laudato Exordio distinctione 3, cap. 28. « Vir venerabilis Simon, quondam abbas Caziaci, quod est non ignobile monasterium nigri Ordinis monachorum, magno cordis affectu beatum Bernardum diligebat, adeo ut de consilio et voluntate ejus totus pendere videretur. Huic autem desiderium magnum inerat, curam pastoralem deserere, et fieri monachum in Claravalle. Verumtamen sanctus Pater Bernardus sciens virtutem viri et gratiam, qua commisso cœnobio idoneus valde atque perneccarius erat, quandiu vixit in carne, nunquam ei super hujusmodi petitione consensum præbere voluit.

568. « Quadam igitur die dixit ad eum idem abbas: Domine Pater, ego senex, et pene decrepitus, fatiscens in corpore membris, et insuper urgentibus morbis, jamjamque resolvi me sentio. Quod si extra Claramvallem defecero, erit mihi dolor inconsolabilis et irreparabile damnum. Unde necesse est ut vel nunc abire me jubeas, et satisfacere votis meis, quia mors accelerans moram amplius facere me non permittit. Cui vir Dei respondit: Mane in loco tuo, et noli timere. Ego securum te facio quia morieris in Claravalle. Credit homo sermonibus sancti, et mansit interim in prælatione sua securior pluribus annis. Post transitum vero beati viri, cum jam desiderii sui stimulos nullo reprimente tolerare nequiret, dimisso regimine Claramvallem se contulit: ubi etiam magno Dei dono, magnoque miraculo septennium supervivens, mirabile prorpsus in tali ætate vel infirmitate, fervoris ac devotionis exemplum nobis omnibus in fine reliquit. » Hæc ibi.

569. Tametsi vero duæ illæ peregrinationes ab auctore, qui illas memorat, clare ac distincte non asserantur peractæ ad visendum atque honorandum pretiosum corporis sacri apud Claravallenses depositum; cum tamen videatur verosimile, hanc etiam causam vel tanquam primariam, vel saltem tanquam secundariam, ut cum philosophis loquar, influxisse in eorum, qui ad illud monasterium se contulerunt, iter; non alienum a vero putavimus, si, Manrici exemplum secuti, istas duas profectiones diceremus ab ipsis institutas ad honorandum venerabile pignus illud, quod Claravallenses possidebant, quotidiano illius solatio fruituris, quandiu viverent, eorum instituto ascripti. « Sic, inquit Manricus numer. 6, venerati omnes Bernardi cineres; religiosi in Simone Caziacensi; princeps in Gumaro (sive Gunnaro) pontifices in Eskylo, nec sola peregrinatione suscepta; sed constituta apud eos habitatio, atque ad normam vitæ ejusdem sancti, quod excellentius, et, ipso absente, arduius judicabatur. » Mabillonius Annalium Ordinis S. Benedicti tomo III, ad annum 854, num. 80, notationem dat. « Caziacensi (Chesy) sancti Petri abbatæ,

quæ ad Matronam fluvium infra Castrum Theodorici in dicecesi Suessionica posita est, etc. » Hæc notare placuit, propterea quod de istius abbatæ præside supra occurrit mentio.

§ LIV. S. Bernardi sanctitas, doctrina, et auctoritas in Ecclesia.

570. Quæ hic prænotantur, elogiorum capita illustrat Mabillonius in sua Præfatione generali § 2. Videsis tom. I. op. S. Bernardi, col. 25-26 edit. nostræ. § LV. Varia in laudem S. Bernardi testimonia simul collecta.

571. Immortalia sanctissimi abbatis nostri præconia, a doctissimo Mabillonio illustrata, ac paragrapho proxime citato a nobis ex ipso transcripta, confirmare placet ex multis ac variis de eodem vira sancto testimoniis. Habentur ea quidem in introductione ad opera S. Bernardi, Coloniae Agrippinæ per Merlonem Horstium vulgata; verum quia laudatus Mabillonius illa edidit meliore ordine, visum est, eidem nos conformare. In varios itaque personarum ordines distribuit præsens argumentum in fine voluminis secundi.

His tamen quæ de S. Pio V, editio Mabilloniana recitat, aliud addit editor Bollandianus e Vita laudati pontificis, auctore Joanne Antonio Gabutio, in qua libro IV, cap. 13, hæc de eo referuntur: « Accumbenti vero sibi cum magnam rerum omnium munditiam, tum in primis sacram perpetuo voluit lectionem adhiberi: ac præcipue S. Bernardi libros De consideratione ad Eugenium (quibus videlicet, quæ pro honore Dei ac totius Ecclesiæ bono, animarumque salute consideranda sunt, luculenter, edocentur) sæpius prælegi curabat: sententiarumque gravitatem attentissime ponderans, quæ suo tempore et loco exsequeretur, secum ipse diligenter conferebat. »

§ LVI-LVII. S. Bernardi Opera an jussu Deiparæ sint collecta; editio Mabilloniana; sancti doctoris in scribendo characteres.

572-616. Ad prælum paraveram ea, quæ illustrissimus Manricus ad annum Christi 1153, cap. 10, de sancti doctoris scriptis genuinis, dubiis atque alienis collegit, opera usus tum aliorum auctorum, tum præcipue cardinalis Bellarmini in libro De scriptoribus ecclesiasticis; verum, re deinde expensa, mutavi consilium, et, ne falcem, quod dicitur, mitterem in alienam messem, operose tractando de materia, quæ proprie ad bibliographos, non vero ad hagiographos pertinet, visum est hoc labore supersedere, atque lectores mittere super illo argumento ad Mabillonii editionem propter rationes statim assignandas. In memoriam tamen revocare juvat, quasdam S. Bernardi lucubrationes in hoc Commentario laudatas esse, videlicet § 15 et § 54, De gratia et libero arbitrio; § 23 et 28. Sermones in Cantica canticorum; § 50, librum De Consideratione. Adde, quod Gaufridus biographus genuina quædam sancti Patris opera enumeret in libro III, Vitæ ejus apud nos cap. 5. Sed occasione præsentis argumenti discutiendum breviter est factum quod-

dam, de quo Manricus paulo ante allegatus. Rem expono.

617. Vult itaque historicus ille, S. Bernardi Opera jussu Deiparæ collecta fuisse; pro qua re affert testimonium Philothei: « Sequuntur, inquit, ordine libri, quos sanctus doctor reliquit, ingens volumen operum, sed pondere quam mole longe præcellens: nempe gemmea omnia, seu verius aurea, et de quibus inter laudes Bernardi Philotheus..., cum collecta et vulgata recens fuissent, pia quidem licentia, sed poetica, non aliud majus donum (hujus generis) a Virgine accepisse genus humanum, quam quod scriptis Bernardi frueretur, fidenter ait » ista, quæ in editione Mabilloniana habentur volumine II, cap. 7, col. 1804.

*Hoc tamen audenti liceat dixisse camæna,*

*Atque animi sensus exseruisse mei,*

*Humano nunquam generi, nostroque decori*

*Parthenice tantum muneris alma dedit;*

*Quantum grata suo nuper cum munere nobis*

*Protulit hæc brevibus scripta legenda notis.*

618. Hiscæ Philothei versibus recitatis superaddit ista de eodem Manricus: « Attribuit autem Virgini hoc munus, quia ejus jussu collecta sancti opuscula, atque in volumen unum conglobata usui publico lucem aspexere. » Ita ille; qui mox recitat sequens ex eodem poeta distichon, quo rem confirmat:

*Protulit ipsa quidem, proprio nam Diva clienti*

*Jussit, ut egregii quæreret orsa senis.*

Factum illud memoria dignum esset, si de ejusdem veritate sufficienter constaret. At vero nonnulla sunt, quæ hic rei officiant. Nam contra est primo, quod jussum illud confuse admodum referatur. Quæro enim, quisnam fuerit cliens iste poprius: item quo loco, quo modo, quo tempore id acciderit: quibus tabulis confirmetur. Contra est secundo, quod pictoribus atque poetis proprius sit ac frequens episodiorum usus. Unde consequens est, ut imperata illa operum collectio probari debeat testimonio melioris notæ, antequam nos ei suffragemur. Jam vero, quandoquidem paulo ante lectorem misimus ad operum S. Bernardi editionem Mabillonianam, non abs re fuerit brevem de eadem notitiam dare.

619. Clarissimus hic editor S. Bernardi opera omnia cum genuina, tum spuria, tum dubia, tomis sex comprehensa vulgavit in volumine duplici. Et in primo quidem refert quatuor priores tomos, seu genuina sancti opera omnia; in secundo autem, quod continet duos posteriores tomos, quantum videlicet et sextum, exhibet alia. Utrumque vero volumen, secundis curis ad limam revocatum, Lutetiæ Parisiorum typis commisit anno 1690, post editionem primam, quæ ibidem loci prodierat anno 1667. Socios, qui operam suam in hac editione anni 1690, strenue posuerunt, nominat Mabillonius in fine Præfationis generalis. Hunc tamen, non illos, tanquam auctorem primarium nos semper allegamus. Dicebam superius, Mabillonium opera omnia sancti doctoris vulgasse, etiamsi scriptæ nonnullæ epistolæ ad ipsius